



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap. VI. De mansuetudine seu clementia.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

aliqua mediocritas: In expetendis honoribus ea repertiuntur: Ergo mediocritati quoq; inter illos locus relinquetur.

Quomodo igitur hæc distinguenda ab antecedente magnanimitate?

Utriusque idem fere subjectum est: videlicet honos. Attamē hæc in parvis, illa veró magnanimitas in magnis honoribus occupatur.

Qualia sunt hujus disparata?

Invidia, Ambitio: & honoris vacuitas.

Ambitiosus quis dicitur?

Quinimio honoris studio trahitur, & in iis rebus gloriam sectatur, ubi promerenda non est.

Honoris vacuitas qualis est affectus?

Est gloriæ omnis contemptus.

C A P. VI.

De mansuetudine seu clementia.

Qualis virtus est mansuetudo?

Est virtus animo tranquillo, ac patienti omnia ferens.

Cic. i. Offic. Nihil laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atque clementia.

Quodnam vero proprium hujus subjectum est?

Iracundiæ mediocritas.

Quem igitur hac ratione dicis mansuetum?

Qui ab affectu, aut animi perturbatione minime ducitur, sed prout ratio statuerit, succenset.

Quanam ab hac virtute dissentiunt?

Irae vacuitas, & iracundia. In illa defectus in hac excessus quidam est.

Cicero: Ita probanda est mansuetudo atque clementia, ut adhibeatur reipublice causa severitas.

Iracundia quomodo delinquit?

Cum quispiam ob ea que non oportet magis ac citius, longiusque quam deceat irascitur.

Estne unum genus iracundorum hominum, an multiplex?

Tria eorum genera sunt: Alii proprie dicuntur iracundi: alii acerbi sive austeri: alii difficiles.

Iracundi qui dicuntur?

Qui citius quam par sit irascuntur, nequam diu iram sustinent.

Acerbi quoniam sunt?

Qui longiore tempore irascuntur, nequam antequam ultione sumperint, desistant.

Difficiles sive morosos quos desinis?

Qui numquam nisi ultione sumpta iram deponunt.

Iracundiane, an ira vacuitas mansuetudini magis resistit?

Iracundia: quippe quae in hominum commercio sit deterior.

Cicero hunc affectum in omnibus rebus repudiandum esse monet.